



# DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,  
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

## QUÆSTIO MEDICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,  
*mane discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesima tertia  
mensis Januarii, anno Domini M. DCC. LXXII.*

### PRÆSIDE

M. JOANNE MAC-MAHON, Antiquo Exercituum Regis &  
Nosocomiorum Militariorum Medico, Regiæ Scholæ Militaris Medico ordinario.

*An in praxi Medicâ magni faciendâ sit crîsum observatio?*

I.



ORPUS humanum constat elementis quæ, secundum leges æternas à physicis evolutas, moventur & reguntur. Horum elementorum consensio sanitatem, perturbatio morbum, disjunctio mortem constituit. Natura cujus omnes philosophi perpetuè auxilium implorant atque flagitant, & quam paucissimi norunt, est principium illud ignotum & activum, vel ipse mechanismus quo elementa, singulari artificio, ad totius conservationem conspirant. Igitur hæc ipsa potest considerari, sive ut principium activum, sive ut passivum. Sub primo respectu rectè dici potest opitex præstantior

quī, sicuti alii opifices instrumentis aptis eget ad agendum, & ipsi opus est ad sanitatem sive tuendam, sive restituendam aere, alimentis atque remediis. Sub altero respectu natura est concentus legum ipsi soli, quasi dixerim, notarum quas ita sapienter ordinavit summus rerum gubernator, ut ex iis varii emergant motus, quorum beneficio, singulae partes, harmoniā mirabili, ad totius tutelam concurrunt. Ubi quid heterogeneum earumdem ordinem perturbat, motus vehementior necessario excitatur, quo materia noxia attenuatur, digeritur, coquitur, & expellitur e corpore: vel modo insensibili quem solutionem dicunt, vel excretionem manifestā *κρίσιν* seu iudicium ab antiquis vocatā. Quod verbum haud à Medicis inventum fuisse existimat Galenus, sed à foro ad illos deductum ab idiotis signis crismum perterritis, quia tunc ipsis natura dimicare videbatur cum morbo ut reus cum iudice (1); è contrā optimus medicus praesente crisi nec turbari, nec futurum eventum ignorare debet. (2). Quippe illius signis tantum probè praecognitis atque perspectis, remedia apta exhiberi, diætāque conveniens institui potest; quod quidem probare enitemur postquam quid per crismum intellexerint antiqui, atque quinam sint dies critici accuratius exposuerimus.

## I I.

**S**I Divi Senis qui doctrinam crismum primus, & omnium optimè prodidit; observationibusque praeclare sancivit libros pervolvamus, ipsam vocem *κρίσις* in plures sententias accipi deprehendemus. Hāc saepe solutionem morbi (3) aliquando paroxysmum sive accessionem intelligit; nonnunquam quamcumque excretionem, ipsamque expulsionem foetus ex utero. Generalitèr tamen hoc nomine indicat omnem repentinam mutationem in morbo factam, cujus quatuor statuit differentias: una ad salutem, altera ad perniciem, quaedam ad detersiū, quaedam ad meliū. Hanc summi dīctatoris sententiam patefecit, & illustravit clarissimus ipsius interpres Galenus, duasque alias addidit differentias quas mixtas vocat scilicet: quum subitā aliquā ad meliū vel peiū commutatione factā, morbus deinceps paulatim progreditur donec aeger vel convalescit, vel è medio sublatus fuerit. Repentinam tamen quæ sit ad salutem mutationem, per excellentiam crismum primus appellavit Pergamenus Medicus, quia omnium optima est; quæ mortem affert malam, alias verò imperfectas dixit. Hunc ducem sequuti clarissimi artis Magistri in eā tantum quæ optima est cognoscendā operam suam posuere, ex eo quòd hāc probè notā aliæ facilius dijudicari queant.

Dies critici vocantur ii in quibus mutatio quaedam insignis contingit. Qui quidem numerandi sunt non à lassitudine, decubitu vel malā aegri dispositione, verum à motu febrili qui ex horrore & pulsus mutatione dignoscitur. Complures critici, & ferè innumeri passim apud Hippocratem leguntur & observantur; quòd singulis morbi diebus crises quidem fieri noverant antiqui; sed neque partes numero, neque ex æquo iis fidendum esse observatione constanti didice-

(1) *Τὴς ἰδιοτῶν παρὼν ἑαυτοῦ τῷ πράγματι ἀναγκαστικὸς ἐξερῶσθαι, ὡς ὁ κρῖμος κρῖμοιο περὶ τῆς ζωῆς.*

(2) *ἰατρὸς γὰρ μὴν ἴστωσι γυναικί, μήτε παρασῆσθαι, μήτ' ἀγνοεῖν τὸ μέλλον ἀποβῆσθαι*

(3) Indè Celsus pleraque ex Hippocrate in latinum convertens *κρίσις* nunquam aliter vertit quam solvi & finiri morbum vide illius lib. 2. 3.

vunt. Propriè verò sic nuncuparunt eos in quibus crifes frequentius contingunt, & certius morbum judicant. Inter hos primum obtinent locum septenarii; qui sunt, numerando à die quò febris ægrum invasit, 7, 14, 20, 27, 34, 40, post 40<sup>m</sup> cessat septenariorum vis, tunc soli vicensarii sunt critici ut 60, 80, 100, post 100<sup>m</sup> autem diem mensibus & annis numerare oportet. Secundum obtinent locum 3, 5, 9, 13, 19, quibus crifes raribus contingit, & minis perfecta est. Hos intercalares vocant quòd inter principes, & indices intercidunt. Indices, seu contemplabiles dicuntur, qui crifim septenariis futuram præfagiunt. Hi sunt singulorum septenariorum medii scilicet: quartus septimi est index, undecimus quatuordecimi, decimus septimus 20<sup>m</sup>, post vigefimum verò perit quaternionum vis. Mali sunt à quarto pares exceptis iis qui septenarium complent numerum. Pares aliquoties medicinales vocantur, quòd iis tutius adhibeantur medicamenta.

Morbis levioribus propria est solutio, graviores verò qui sine crifi discutiuntur periculo non vacant. Indè ægrotantium nullus, quorum historiam memoriam mandavit divus senex, sanatus fuit sine evacuatione critica; & Hermocrates 14 die febre liberatus sine crifi, 17 relapsus est & 27 obiit.

Signa sunt quædam optimis iudiciis propria. Horum præcipuum est coctio in excrementis conspecta.

Coctio porrò est vis quâ id quod à statu naturali recedebat, sensim propriam indolem recuperat. Sic cocta dicitur alvina dejectio quæ colore subrufa est, nec admodum graveolet; quæ mollis excernitur, constans, eâ copiâ quæ cibis ingestis respondet.

Excrementa autem sunt vel universalialia ut urinæ, alvi dejectiones, & sudores: vel parti cuidam propria, ut sputa pulmonibus, &c. Optimum est signa coctionis in istis deprehendi, cum pars aliqua, v. g. pulmo, morbo afficitur. Atamen curatio sine his aliquoties obtineri potest. Nunquam verò sine signis coctionis in uno saltem excrementorum universalium. Sic pleuriticos, anginofos, peripneumonicos quosdam sine sputis ullis sanitati restitutos vidit Summus Dictator. è contrâ plerique quibus signa coctionis in excrementis universalibus deerant cum sputo laudabili & cocto interiire. Namque coctiones excrementorum, viscerum coctioni alimentorum famulantium robur, solidorum actionem in fluida, corporis universi calorem, humorum indolem, vim denique naturæ optimè demonstrant, idèò salutem portendant etiam cum aliis signis malis, modò aliquandiu permaneant. Cum autem in iis adsunt signa cruditatis nihil boni unquam elucere potest. Exquisita coctio semper fit tempore status morbi; undè crifis optima vel in statu morbi, vel paulò antè ipsum expectanda est. Hæc etiam debet indicari signis coctionis die indice, veluti die 4<sup>o</sup> si 7<sup>o</sup> futura sit. Debet contingere è directo partis affectæ, ægrotantisque naturæ, ætati, ac morbo convenire. Excretionem quoque ipsam quantitate sufficienti fieri necesse est, ut nihil reliquiarum superfit. Nam quemadmodum quod nimium est damnatur, ita nihil paucum est criticum. Quotiescunque etiam evacuatio insignis diebus criticis vel extrâ illos contingit, nec febris nec morbi violentia decrefcunt, nec ulla symptomata dissipantur, sed potiùs in eodem statu permanent, vel exacerbantur, tunc pessimum est indicium. Hippocrates perpetuò damnat crifes imperfectas quæ diebus criticis contingunt, & illas quæ levant diebus non criticis.

Summatim nisi maximâ prudentiâ, & sedulitate morbi idea, magnitudo, natura, mores, anni tempus, regio, præfens constitutio, ægri ætas, natura, vires, pulsus, respiratio, facies, lingua, cutis indoles, hypochondriorum tac-

tus, labiorum motus, vox, oculi, auditus, sermones, & alia hujusmodi similia observentur; crises nec cognosci nec præcineri queunt. (4) Ad hæc omnia accuratè attendendo, æternam consecuti sunt famam Hippocrates, Diocles & Galenus; crifem non solum nunciabant sed etiam diem quo ægrotans ab affectione morbosâ liberaretur. Proinde horum vestigia premendo prognosim expoliri & certior reddi potest. Illi verò quibus artis decus curæ est, nunquam ex unico signo judicium ferant, sed ex multis unâ conspectis & simul collatis. Sic sudoribus, crifis futura præcinatur si: post signa coctionis, urina & alvus supprimantur, febris adsit ardens, sine signis hæmorrhagiæ, vomitûs, mensium, hæmorrhoidum & alvi fluxus; si rigor superveniat, vel æger crescente accessione deliret, si lingua humescere incipiat, & partes exteriores maximèque facies colorationes & calidiores reddantur, demum si cutis mollior & humidior evadat cum pulsu magno, molli & undoso. Hæc signa simul considerata maximam vim ad instituendam prognosim habent, singulatim verò, medicum in errores gravissimos inducere valent, ne quidem exceptis signis ex pulsûs exploratione desumptis. Enimverò nullum signum, hæc ipsa, inconstantia, mobilitate, & levitate superat. Namque non modò cogitationes quas animo volvit ægrotans, diversus corporis status, vox adsistantium, medici præsentia, motus etiam non vehementis, explorandi modus, compressio quæcunque carpi, nec non brachii, ipsum jufculum assumptum, aliaque plurima pulsum immutant; sed etiam insuper eadem ipsius varietates modò evacuationes criticas nuntiant modò nequam. v. g. dicrotus sæpissimè deprehenditur in inflammationibus vehementibus cum omnia adhuc cruda sunt nec ullum speratur judicium. Galenus in peripneumoniâ & lethargo pulsum undosum, vel etiam dicrotum fieri observavit. Inter mittens plerumque decipit. Quibusdam enim congenitus est. Pueris, senibus, hypochondriacis, hysteriacis & gravidis communis est. Sæpè crifis salutarem nunciat, non rarò quoque mortem. Undosus, teste Pergameno medico, cum sudore, cum sanguinis eruptione è naribus, vel per hæmorrhoides deprehenditur, semperque aliquam evacuationem nunciat. Quapropter alia signa hisce evacuationibus propria memoriâ acutè tenenda sunt ut certius prævideantur. Equidem diversitates multas in pulsu undoso agnoscit Galenus, quorum ope prognosim facilius institui existimat. Sed adeò leves sunt, ut ab omnibus percipi nequeant. Ipse non multam fidem adhibuisse videtur pulsui singulatim considerato, in præcinendis judiciis; cum nullam de illo mentionem faciat in libris de crifibus.

I I L

CUM, ex modò expositis, cognitio crifum nitatur notitiâ omnium symptomatum quæ morbum comitantur, patet hanc nihil aliud esse quam ipsiusmet naturæ operum cognitionem accuratam, quantum homini assequi potius est. Sinè illâ autem nullus dari potest medicus. Hunc enim naturæ ministerium constituit antiquitas vel potius ipse Deus. Undè ipsi lex summa esse debet naturæ veltigiis insistere, illius propensionibus favere, eique parturienti

(4) Super hæc vid. Hipp. lib. de diebus decretoriis parag. 9. sect. 2. Aphor. 23. 24. Sect. 2. Aph. 37, 71, 72. Sect. 4. Aph. 65. Sect. 6. lib. de prænot. parag. 20. lib. 2. de præfag. parag. 7 & 8. lib. de septimestri partu, coacas, lib. 1. Epid. sect. 2. parag. 16. lib. 3. Epid. Sect. 2 & 3. Vid. Gal. Comment. ad Aphor. 13 & 23. Sect. 2. Comment. ad prognost. lib. de Crif. & de diebus judicat, &c.

liquis. Denique consideratio crifum est ipsi velut pyxis nautica, cupis auxilio omnibus vitatis periculis tutè ærum in portum adducit; nec unquam confidendo signis infidis, vidu pleniori ægrotantem, imperfectè judicatum; uti finit, mortisque autor evadit ut contigit Philoni: « Merito enim recidivam timeat » iis quibus febres cessant neque cum signis lotionis, neque in diebus decedentis. « lib. 1. Prognost. Huic methodo crifibus innixæ, idèoque naturæ numine semper tæ nullum detrimentum atulit temporis edacitas, proinde hæc sola inconcussa & certissima est.

## V.

**NATURA** ut Eleusis sua mysteria non simul exponit, hæc detegit iis tantum quin in illius operationibus edicendis diu multumque insudaverunt. Quapropter illi qui doctrinam crifum discere cupit multâ prudentiâ, ne nimium festinando vanâ spe deludatur, summâque patientiâ opus est, ut omnia symptomata quibus comitantur crifes accuratè perpendat, nec animo frangatur quamvis aliquoties fallatur, sive defectu experientiæ, sive morborum insueti ordine. Hisce conditionibus obsequi, naturamque accuratè æmulari nihil difficilè; indè multi, ingenii deliramenta sequi crifesque negare maluerunt. Harum adversarii sub triplici respectu considerari possunt. Alii crifes omnino rejiciunt, alii hæc in regionibus duntaxat caldioribus dari contendunt. Alii officium Medici esse dicunt has antevertere, crifesque artificiales concitare.

Qui crifes omninò adesse negant ut Asclepiades apud Cælium Aurelianum & Celsus valdè debilitantur argumento. Has vanæ numerorum Pythagoreorum superstitioni originem debere arbitratur, epistolamque quamdam Hippocratis ad Theffalum imprimis commemorant. Sed quid ad nos epistola subditiua? Cum, ut jam observavit Avicenna Arabum princeps, genuina divi tenis scripta ubique testentur hunc nullo unquam systemate adstrictum fuisse; suorumque præceptorum exceptiōnes, seu naturæ a consueto ordine aberrationes optinè novisse. Sic quamvis quaternariis indicari crifes septenariis futuras docuerit, hoc tamen aliquandò aliter contingere optimè monuit. Multos, apud ipsum, acutis morbis laborantes è medio sublatis fuisse 7<sup>o</sup> vel 14<sup>o</sup> observare est, quamvis his diebus perfectè & salubriter judicari morbos scripserit. Imò nec primo nec 2<sup>o</sup> Epid. ullius ægroti meminuit qui 7<sup>o</sup> ad bonum judicatus fuerit, contrà Larissæa Viago 6<sup>o</sup> die, qui pessimus erat ad sanitatem, liberali hæmorrhagiâ, judicata fuit.

Hippocratem etiam inconstantia accusant, ex eo quod in diebus criticis enumerandis non ubique sibi consimilis habeatur. Indè nihil certi ex ipsius operibus confici posse arbitratur. Sed quamvis plurimos morbos crifum non tam accuratè servare tempora, quamvis sexto aliquandò judicia contingere observaverit. Hæc nihil contrà faciunt quia rarissima sunt nec ullo modo regulam constituere possunt. Etenim nihilominùs ratum stat: plures mori 9<sup>o</sup> quam 7<sup>o</sup> die, pluresque imparibus diebus quam paribus. Hoc certâ & longâ experientiâ didicerat divus senex. Sic in unâ epidemiâ omnes morbos 7<sup>o</sup> judicatos vidit. Hoc confirmaverunt omnes Clarissimi viri quos tulit antiquior ætas Diocles, Philotimus, Heraclides Tarentinus & Archigenes, qui summâ constantiâ & candore maximo observaverunt morborum quæcumque phenomena. Galenus, qui hanc rem acuratori examini subjecit, quos 7<sup>o</sup> judicatos viderat ne numerare quidem potuit. 12<sup>o</sup> verò aut 16<sup>o</sup> nullum unquam judicatum vidit. 6<sup>o</sup> Judicia contingere, ait, sed cum difficillimis symptomatis & periculo ingenti. Omnia igitur probant antiquos soli experientiâ in

enarrandis quæcunque protulerunt de crisis fidisse; non autem præjudicatâ opinione, vel systemate quocunque delusos, vana commenta protulisse. Sed quid plura? Quorsum testium nubem in fidem vocaverim? ipse Asclepiades acerrimus crisis detractor dum accessiones considerandas esse arbitrat non-ne re nobiscum facit quamvis verbis dissideat, cum nequeant considerari accessiones quin crisis admittat doctrina? Nonne etiam in nostram sententiam descendit Celsus, cum quid 7 & 14 die in morbis pulmonum contingat observandum esse vult? lib. 2. cap. 6. & 8. Igitur re accuratius perspectâ nominis controversia instituta fuisse videtur ab antiquis, cum de facto omnes conveniant. Proinde corrui sententia recentiorum qui crises rejiciendo horum autoritate fulciri arbitrantur.

Non potior est sententia eorum qui, ut Waldschmidt, Hollerius, Wedelius, Baglivius crises quidem in regionibus calidis observari fatentur, non verò itâ in nostris ob cælum frigidius quo humores crassiores redduntur. Quippè natura nunc eodem ordine procedit ac antiquis, febres iisdem symptomatibus comitantur, medicamenta eodem modo agunt, temperamenta hominum non mutata videntur. Quapropter cum summus medicinæ dicitur *lib. prænot.* suas observationes omnibus in regionibus veras esse asserat, alia quærenda est causa quam cæli diversitas quare febres nunc diversimodè terminentur. Sed verisimilimum videtur medicos qui hæc supponunt in errore versari, morbisque eundem futurum finem, nisi natura turbaretur præposterâ medicatione. Experienciâ enim constanti manifestum est, febres eodem modo judicari apud nos ac in Græciâ, etsi diuturnitate nonnunquam dissimiles sint. Sic Ardentes, sanguinis eruptione è naribus in juvenibus, alvi profluvio in senibus, mensuris in mulieribus; putridæ, diarrhæa vel urinis etiamnum judicantur. Aliquandò morbi materies versus peripheriam corporis detrusa statis diebus per cutis poros roris instar uberrimi effluit; vel in textum cellularem delata pruritus, erysipelata, pustulas, abscessus, artuum & coxendicum dolores facit, cum febris & symptomatum mitigatione. Phrenitis hæmorrhagiâ vel abscessu ad glandulas parotides discutitur. Acuti pectoris affectus uti est Pleuritis & Peripneumonia, per sudorem æquè ac sputum 7<sup>o</sup> vel 14<sup>o</sup> die vires suas demittunt. Si ultrâ procedant in empyema mutantur. Hepatitis 7<sup>o</sup> vel 14<sup>o</sup> partim sudore, partim alvi profluvio judicatur. Internis viscerum inflammationibus narium stillicidia junguntur. Morbi etiam chronici in quibus naturæ potentia minor est suas habent crises. Rheumatismi, catarrhi, urinæ turbidâ, sedimentosâ, dejectionibus alvinis, aut sudore glutinoso curantur, omnes paralytici quos electricitate curatos vidit Illust. Privati aliquam evacuationem criticam passi sunt. Ipsæ febres intermittentes quas specifico oppugnamus remedio nunquam tutò recedunt nisi aliqua crisis fiat sudoribus calidis uberrimis, urinâ maximè turbidâ, alvo laxiori, vel etiam pyalismo ut accuratissimâ observatione deprehendit Clarif. Albertinus, qui insuper narrat ægrum quemdam pejùs vel melius se habuisse prout perspiratio adaugebatur, vel imminuebatur; hæcque vicissitudine eundem fluctuasse donec constanti pleniorique sudore perfectè judicatus fuisset. Igitur quæcunque de crisis & periodis morborum tradiderunt veteres apud nos etiam verâ sunt, hoc testimonio suo confirmarunt clarissimi inter recentiores viri Sennertus, Riverius, Hoffmannus, Sydenhamus, Vanfwieten, Martine, Haen, & novissimè apud nos, vir inter practicos clarissimus, inter sagaces rerum naturæ indagatores sagacissimus, inter præstantes poetas præstantissimus qui in poemate nuper edito ait: (a)

(a) D. Geoffroi.

*Sæpe salutari tentat natura labore  
 Spissatis nimium succis oppressa levare  
 Viscera præsentisque crisi prævertere morbos,  
 Affecta naturæ Medicus, fidusque minister  
 Hujus opus nunquam tentet turbare, sed ipsi  
 Auxiliatrici satis est succurrere dextrâ.*

Tanta demùm est naturæ potestas in crisis concitandis etiam sub nostro cælo, ut ipse Helmontius, nec non Chiracus, qui suis remediis ægrotantes à principio morbi ad finem vexabant coacti fuerint fateri dies 7, 14 & 21 maximè observandos esse.

Qui putant crises à Medico arte faciendas esse valde mihi videntur errare, omninoque in hoc omnis error est quod existimant artem suis medicamentis coactam naturæ criticos æmulari posse. Quod tamen falsum est. Namque licet hæc cum illis hoc commune habeant ut corpus eximie conturbent, effectibus valde discrepant. Purgantia enim in febribus frequentius nocent, & rarissime ægrotantem levant. Motus critici è contrâ vulgò in ipsius salutem cedunt. Quoniam humorem morbi coctum & maturum expellunt. Artis imbecillitatem nonne demonstrant crises quæ in febribus sæpe contingunt, in ægris qui validissimis constant viribus, quamvis phlebotomis & drastis maximè fuerint debilitati. In constitutionibus variolosis & aliis hujusce generis ubi fomitem morbi, motus febriles concitando, ad cutem propellit natura, incassum tum vocabuntur omnia artis auxilia ut humor aliam affectet viam. Natura semper eodem procedet tramite, aut ægrotans è medio tolletur. Quis morbos gravissimos in ipsis incunabilis unquam suffocavit? Quis unquam sputa in pleuritide, quis hæmorrhagiam criticam in febre ardente aut aliam evacuationem tutè suppressit? Quoties etiam, quoties accidit morbum quem debellatum purgantibus existimant indicias tantum fecisse ob vim naturæ debiliorem? Quis redeasere queat quam multos, quamque graves morbos chronicos successerint temerariis emutationibus? Demum optimorum magistrorum libri nos docent activiora remedia, tantum removere obstacula quæ naturæ opus turbant, nunquam vero illi æquiparanda esse. Proindè maximâ cum cautelâ in usum vocanda sunt, in iisque duntaxat casibus ubi ob materiæ turgescientiam, motusque naturæ irregulares, metastases periculosaè timentur. Hi verò casus sunt rarissimi. De iis judicium ferre arduum est. Hos optimè perspexit Hippocrates attentè observando quascunque morborum mutationes. Nec quis existimet tunc illum vanâ cœtionis expectatione, validissima remedia omisisse, nunquam illis diebus feriatum quibus hostis jugulum petit, semper principis obstat. Ubi febris adest vehemens doloribus maximis, & difficultate spirandi stipata, motum nimium compescere, evacuationemque artificialem concitare potius eligit statim sanguinem detrahendo quam omnia naturæ committere. Hujus vestigia prementes Ballonius, Fernelius, Ramazzini, Lancisus, Baglivius, Sydenhamus, Glask, Boerhavius & multi alii viri clarissimi, in febribus ubi adest vertigo, vehemens dolor capitis, insignis præcordiorum oppressio, primis morbi diebus, præmissâ S. M. materiam noxiam purgatione alvinâ submovere commendant, ne diutius intestinis contenta massa sanguineâ remisceatur. Proindè crisiûm contemplator eo tantum tempore spectatorem agit, cum natura suam adoritur opus, nec rejicit omnem activam cu-

tandi rationem, sed multo prudentius eam adhibet. Præterea futuros morborum eventus, quod admirabile & divinationi proximum est, prævidet. Nunquam metu perculsus, dum validis conatibus crifim salutarem molitur natura, totam ægri familiam vano implet terrore. E contra crifim imminet bellè indicando, adstantibus stuporem parit, majorem splendorem arti addit, optimè de genere humano meretur, magnoque dignitatis splendore apud omnes extollitur. Quamobrem five judicium vetustatis, five lumen rationis, five experientiæ auctoritas, five artis decus considerentur, nostræ sententiæ serviunt & suffragantur omnia, proinde concludere debemus:

*Ergò in praxi Medicâ magni facienda est crifum observatio.*

## DOMINI DOCTORES DISPUTATURI

*M. Achilles-Guillelmus LE BEGUE DE PRESLE, ME. Eques & Censor Regius.*

*M. Stephanus D'HUAU-ME.*

*M. Nicolaus LE ROY DE S. AIGNAN, Eques.*

*M. Casar COSTE, Censor Regius.*

*M. Joannes-Armandus ROUSSIN DE MONTA-BOURG.*

*M. Ludovicus-Claudius BOURDELIN, Antiquus Facultatis Decanus, Regiæ Scientiarum Academia, Regiæ Societatis Berolinensis Socius, in Horto Regio Chimiæ Professor & Galliarum Principum Medicus Primarius.*

*M. Petrus-Joannes-Claudius MAUDUYT DELA VARENNE.*

*M. Natalis-Nicolaus MALLET.*

*M. Michael-Ludovicus VERNAGE, Antiquior Scholæ Magister, Eques & Censor Regius.*

Proponebat Parisiis EDUARDUS-FRANCISCUS-MARIA BOSQUILLON, Eques, Monfdesiderianus Ambianensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theſeos Author. A. R. S. H. 1772.

▲ SEXTA ▲ D MERIDIEM.